



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE**CONGREGATIO PRO** **GENTIUM EVANGELIZATIONE****COLLEGIO ECCLESIASTICO**

COREANO IN URBE PONTIFICII TRIBUITUR TITULUS Ad perpetuam rei memoriam. — Congregatio pro Gentium Evangelizatione, poscentibus Praesulibus Conferentiae Episcoporum Coreae, Decreto die xxv superioris mensis Ianuarii hoc anno edito, Collegium ecclesiasticum Coreanum in Urbe condidit ut sacerdotes eiusdem nationis in eo commorantes inquisitioni sacrarum disciplinarum altioris ordinis apud Ecclesiasticas Universitates Facultatesque Studiorum diligenter incumbant suumque animum apud Beati Petri Cathedram excellentioribus imbuant virtutibus simulque, nomine venerabilium Praesulum, quos diximus, nunc a Nobis petit ut iis aedibus titulum Pontificii Collegii tribuamus. Nos vero, qui Dei consilio et voluntate catholicae praesidemus Ecclesiae ac paterna quidem benevolentia prosequimur universos Christifideles Coreanos tamquam carissimos filios, enixis precibus perquam libenter concedendum esse censemus. Hisce igitur Litteris, summa Apostolica potestate Collegium ecclesiasticum Coreanum, in hac alma Urbe exstans, Pontificium edicimus, cunctis tributis propriis honoribus, privilegiis et facultatibus. Quae statuimus iugiter efficacem esse foreque volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xi mensis Februarii, in festo Beatae Mariae Virginis de Lourdes, anno Magni Iubilaei MM, Pontificatus Nostri vicesimo secundo. De mandato Summi Pontificis*

+ANGELUS card. SODANO Loco+Sigilli

In Secret. Status tab., n. 469.301 © Copyright 2000 - Libreria Editrice Vaticana
